

CASUS XV. Durante obsidione urbis, & hostibus ultimum jam assultum parantibus, viri ac foeminae tumultuatim in Ecclesiam sese receperunt, ibique alii adulteria commiserunt, alii coitum conjugalem perfecerunt.

ꝫ. Ecclesia non censetur profanata per has actiones, si sint occultae: *Prælati, inquit Sylvius, non debent occulta crimina revelare iustificando, seu reconciliando Ecclesias. Verum si essent publicæ ac notoriæ, reconciliari deberet Ecclesia. Pontas.*

CASUS XVI. Ecclesia fuit polluta per homicidium: num & cœmeterium fuit pollutum?

ꝫ. Si cœmeterium Ecclesiæ contiguum est, cœmeterium quoque polluitur. Polluto autem cœmeterio, non ideo etiam Ecclesia, licet cœmeterio contigua, pro polluta habenda est; quia juxta declarationem Bonifacii VIII. *accessorium naturam sequi congruit principalis, & non vice versa. Pontas.*

CASUS XVII. Anselmus Parochus ex commissione Episcopi pollutam suam reconciliavit Ecclesiam; sed non nisi aqua benedicta sale mixta usus est.

ꝫ. Si Ecclesia antea non fuit consecrata juxta ritus in Pontificali præscriptos, valida est hæc reconciliatio. Si vero Ecclesia solemniter fuit consecrata, Parochus uti debuisset aqua Gregoriana ab ipso Episcopo benedicta & adhiberi solita, cui miscentur vinum & cineres. Verum non adeo certum est, reconciliationem per aquam benedictam communem, quam Canones *aquam exorcizatam* dicunt, absolute esse nullam. Hæc dicta de reconciliatione Ecclesiæ etiam intelligenda sunt de reconciliatione cœmeterii. *Pontas.*

CASUS XVIII. Antonius Aedituus frequenter prandet in Ecclesia, maxime tempore paschali ac festis solemnioribus, ut promptus suo fungatur ministerio.

ꝫ. Sola necessitas eum a peccato excusare potest: Ecclesia enim est locus orationis; hinc peccat Antonius contra reverentiam loco sacro debitam. *Pontas.*

CASUS XIX. Damarinus dum Ecclesiam adit, semper secum habet canem.

ꝫ. Si monitus non abstinerit, toties peccat, quoties cum cane venit in Ecclesiam. Turcis grave crimen est, si quis canem secum sumat, imo vel intromittat in sanum Mahometicum. Et qua ratione tam exilui momenti res videri potest Christianis palpabilis hæc indecentia ac ignominiosa deordinatio. *Pontas.*

CASUS XX. Cujus est reconciliare Ecclesiam pollutam?

ꝫ. So-

ꝫ. Solius Episcopi, aut ex ejus commissione Presbyteri. Pollutio publica exigit reconciliationem publicam. Presbyter celebrans in Ecclesia polluta peccat quidem; irregularitatem tamen non contrahit. *Fromageau.*

CASUS XXI. Potestne domus regularis, claustrum aut Ecclesia vendi, elocari, aut in proventus annuos concedi homini privato ad usus civiles ac profanos?

ꝫ. Non penes Episcopum, sed solum penes Papam est potestas hæc concedendi. *Fromageau.*

Vide *Patronatus.*

ELECTIO.

1. *Electio* nil aliud est quam personæ evelctio ad dignitatem Ecclesiasticam, Officium, aut Beneficium vacans. Via Electionis semper habita est pro vera ac primaria janua, per quam pastores in ovile Domini intrare debeant.

2. Electio fit vel per *Scrutinium* vel per *Inspirationem* vel per *Compromissum*. *Primo modo* ab Electoribus tres inter se designantur ad colligenda reliquorum suffragia. Scrutinio finito fit promulgatio; & ille, pro quo stat major ac sanior suffragiorum pars, canonicè est electus, quin suffragatores sua vota variare aut revocare queant. *Secundo modo* Electores quempiam nominant sine conventione prævia; & nemine reclamante in eundem unanimiter omnes collimant quasi a Spiritu Sancto inspirati. *Tertio modo* communitas circa eligendum dissentiens, aut dissensiones præavere cupiens uni aut pluribus ex gremio committit negotium Electionis, ac in illos quilibet jus suffragii sui transfert. Si compromissarius eligeret indignum, Electoribus salvum peristeret jus procedendi ad novam Electionem, nisi approbassent Electionem factam a compromissario. Compromissum est irrevocabile, quando compromissarii jam processerunt ad Electionem; re vero adhuc integra revocari potest.

3. Laici non gaudent jure Electionis ad Beneficia, imo nequidem possunt constitui in compromissarios in nulla Electione Ecclesiastica.

4. Formalitates, quæ in Ecclesiis particularibus in usu sunt, observari debent, nisi sacris Canonibus advertentur. Sic & Electiones factæ contra formam præscriptam ex titulo fundationis Beneficii, aut contra concessum particulari Ecclesiæ privilegium sunt nullæ.

5. Nulla Electio fiat unquam clandestine; ea debet esse libera. Quod attinet Electiones in monasteriis Ordinum primariis,

maris, excommunicationem ipso facto incurrunt illi, qui ad eas impediendas aut disturbandas recurrunt ad Principes sæculares. Jus confirmandi Electionem in Gallia Papæ soli convenit. In Germania vero Electio Episcoporum & Abbatum exemptorum confirmatur a Papa, non exemptorum autem ab Episcopo.

6 Si non fiat convocatio omnium eorum, qui jus suffragandi in Electione habent, Electio non est canonica, neque legitima, nisi ille, qui vocatus non est, Electioni assensum præstat; soli tamen præsentibus jure suffragii gaudent. Absens potest quidem constituere procuratorem nomine constituentis suffragantem; verum procurator sequi debet ordinem Electionis stabilitum, & non nisi procurantis nomine suffragari potest, neque in favorem plurium, si constituens quempiam in particulari determinaverit. Quodsi nemo Capitularium procuratorem absentis in se suscipere velit, absens non potest per literas suam dare suffragium. In Electione Papæ neque procurator admittitur.

7. In Electione simpliciter ac proprie tali Electores non possunt mutare mentem suam publicata jam Electione; neque ea confirmari potest ante publicationem suffragiorum, sed primum facta publicatione. Electio autem improprie talis, in qua scilicet non observatur forma præscripta in Decretali Innocentii III. *Quia propter.*, non indiget confirmatione. Ejusmodi Electio est, quæ fit a Canonicis ad quasdam dignitates, quas Capitulum confert, & potius rationem provisionis quam Electionis habet, quamque Papa prævenire potest, quod fieri nequid quoad Beneficia proprie electiva. In hisce Beneficiis electivis, imo & collativis nulla prorsus habetur ratio Graduatorum, neque Indultorum Papalium, aut Brevium Regiorum. Quando Electio intra tres menses non peragitur, jus eligendi devolvitur ipso jure pro hac vice ad Superiorem immediatum.

8. Electores scienter indignum eligentes privantur jure eligendi pro casu primæ Electionis futuræ, suntque per triennium suspensi a Beneficiis. Si Electio solum est vitiosa ex defectu formalitatum non essentialiter requisitarum, ea tandiu subsistit, donec Electores jure suo excidisse per sententiam declarentur. Si vero in Electione formalitas essentialis non fuerit observata, ea semper nulla reputatur ac invalida.

9. Electio quamprimum insinuanda est Electro, cui spatium unius mensis ad assensum, & trimestre pro obtinenda confirmatione conceditur

10. Si Electores tres commissarios nominant, duo eorum tertium eligere possunt; nullus vero semetipsum nominare potest.

11. Datur adhuc alius modus eligendi, qui dicitur *Postulatio*, & in Germania haud admodum infrequens est. Hoc modo assumitur ad Prælaturam vacantem persona alias non eligibilis; vel quia non est de gremio eligentium, vel quia laborat aliquo impedimento juris. Ad talem Electionem faciendam requiruntur duæ tertie suffragiorum, & confirmatio Papæ, saltem quoad Abbates aut Præpositos exemptos. Si actus Postulationis nondum est confirmatus, postulatus potest juri suo renunciare etiam scrutinio jam publicato; & ante confirmationem Postulationis nullum jus habet ad Beneficium.

12. Hactenus dicta plerumque solum concernunt Electionem Episcoporum & Prælatorum Regularium. In Electionibus minoris momenti non adeo rigoroſe servantur formalitates memoratæ, sed in pluribus Ecclesiis pro regula sumuntur statuta particularia & consuetudines legitime introductæ.

CASUS I. Capitulum Cathedrale consistens ex duodecim Canonicis convenit ad Electionem Decani: sex Canonicorum seniorum eligunt Eufatium, & reliqui Eulogium.

¶ Electio nulla est quoad utrumque electum; quia juxta plures Decretales Electio debet fieri a majori & saniori parte Capituli. Si tamen unus Electorum esset certe dignus, & alter manifeste indignus, Electio primi censeretur canonica. *Pontas.*

CASUS II. Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ, quod quatuordecim constat Canonicis partim Presbyteris, partim Diaconis aut Subdiaconis, & quatuor insuper aliis adhuc Acolythis, ad Electionem Decani conveniente, quatuordecim illi Canonici etiam quatuor dictis Acolythis Capitulo interesse permiserunt; quo factum est, ut septem e prioribus Titum, reliqui vero septem, quibus præfati etiam Acolythis juncti erant, eligerent Mævium.

¶ Electio Mævii est nulla; in Ecclesia enim Cathedrali aut Collegiata ad Electionem nullus admitti potest nisi in Sacris constitutus, etiam si reliqui Canonici tali non constituto in sacris Ordinibus facultatem suffragandi darent. *Quicumque*, inquit Concilium Tridentinum, in Cathedrali vel Collegiata, seculari aut regulari Ecclesia, divinis mancipatus Officiis, in Subdiaconatus Ordine saltem constitutus non sit, vocem in hujusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat, etiam si hoc sibi ab aliis libere fuerit concessum. *Pontas.*

CASUS III. Radebodo, Decano, mortuo Capitulum quadraginta Canonicorum vi juris ac consuetudinis immemorialis Privilegio gaudens Decanum eligendi per Scrutinium, servatis singulis formalitatibus præscriptis a Concilio Generali Lateranensi quarto, omnes Capitulares ad Electionem convocat excepto uno toti Communitati exoso, qui vel ideo raro aut nunquam actibus capitularibus interesse solet. Alius quoque eodem die, quo invitorias acceperat, morbo correptus fuerat: hic autem quemdam suorum Confratrum per literas in Procuratorem constituit, simulque facultatem dedit, eligendi Julianum consanguineum suum omnibus qualitatibus requisitis ornatum. Hic ipse Julianus, cui infirmi Canonici procurator suum quoque votum dederat, electus est per septendecim vota in Decanum, cum aliis tredecim, & quidam tertius novem vota tulerit. Interea ille, qui vocatus non fuerat, protestatur contra Electionem ex his rationibus: 1. quod ad Electionem non sit vocatus. 2. quod Julianus comparative ad triginta novem Capitulares pro se non habuerit dimidiam votorum partem. 3. quod Julianus in Electionem suam assensum non dederit nisi post sex hebdomadas, licet ipso Electionis die certior factus sit, se fuisse electum. 4. Quod procurator decumbentis Canonici, sua procuracione functus, non potuerit suum quoque suffragium proprio nomine dare Juliano.

B. Oppositio hæc quoad tres priores rationes optime fundata est: quarta vero ratio nil evincit: cum enim Capitularis absens in actu procuracionis expresse determinavit Julianum, procurator & proprium suum in favorem Juliani conferre suffragium potuit. Prima ratio factæ oppositionis certe gravis est: *Si eos*, dicit Innocentius III. *vocatos non fuisse constiterit, sed contemptos, infirmanda erit penitus Electio taliter celebrata.* Secunda ratio fundatur in eo; quia, ut quis legitime sit electus, ultra medietatem votorum solus habeat, necesse est. Tertia ratio non minus efficax est; quia omnis Electio debet acceptari intra mensem a die intimatæ Electionis, ut declaravit Gregorius X. in Concilio Lugdunensi. Notandum hic, si Electio nulla declaretur solum ex defectu formalitatis non servatæ, secunda vice posse eligi eandem personam; si vero defectus esset personalis, ut si electus foret excommunicatus, simoniæ reus aut illegitimus, altera vice alius deberet eligi. *Pontas.*

CASUS IV. Chrysippus fuit electus ac declaratus Subcantor in Ecclesia Cathedrali a maiore parte Capituli: Canonici autem adversæ partis sese opponit huic Electioni; eoquod impe-

impedimentum canonicum subesset, idque probaturum se spondet. Fautores Chrysippi nullam protestationis hujus rationem habuere; reliqui vero pro discussione ac terminatione Electionis alium diem constituendum arbitrati sunt.

B. Electores Chrysippi in hoc casu certe non poterunt tam facile contemnere factam oppositionem, cujus probatio offertur; nisi malæ Electionis periculo exponere se veliat. *Pontas.*

CASUS V. Philippus Canonicus Cathedralis incurrit excommunicationem minorem; & tamen in Electione Parochi suum quoque cum aliis dedit suffragium.

B. Absque omni peccato suffragari potuit; & quidem legitime: excommunicatio enim minor solum privat voce passiva, non activa. Aliud foret, si excommunicatione majora ligatus; denunciatusque esset: tunc enim nec jus activum nec passivum in Electione haberet; quia excommunicatio major non solum privat omni jurisdictione, sed & suspensionem inducit ab Officio, & consequenter inhabilem reddit ad suffragandum in Electione juxta definitionem Innocentii III. Unicus est casus, quo excommunicatus, suspensus, & interdictus suffragari possunt, nempe in Electione Papæ. *Pontas.*

CASUS VI. Canonicis Cathedralibus ad Electionem Decani capitulariter congregatis tres proponuntur, quorum unus longe dignior; reliqui duo autem amplioris auctoritatis sunt ob prærogativam natalium, nec ex ullo defectu indigni existunt.

B. Canonicus Capitularis dubius, cui absque peccato suffragari possit, suffragetur pro illo, quem digniorem censet, non quidem absolute, sed respective ad qualitates & virtutes, quæ Capiti collegiali competunt. *Non oportet semper*, ait S. Thomas, *eligere meliorem simpliciter, sed eum, qui sit melior ad hoc officium.* *Pontas.*

CASUS VII. Cum Canonici numero triginta ad eligendum per scrutinium Decanum convenissent, viginti eorum eligebant Maximilianum, & reliqui decem Ferdinandum, utrumque de gremio. Maximilianus vix comperto, pluralitatem votorum pro se stare, inepte gloriabatur, jureque merito electum se publice asserbat. Capitulares octo vel decem, quorum suffragia tulerat, hac arrogantia irritati ocyus adhuc congregati in Capitulo revocarunt vota sua, ac Ferdinando accesserunt; ita ut jam minor suffragantium numerus pro Maximiliano staret, & major pro Ferdinando.

ꝑ. Publicato jam scrutinio, nomineque electi toti Capitulo declarato viginti illi Canonici non potuerunt amplius variare aut revocare vota sua in favorem Ferdinandi, nisi ex parte Maximillani defectum fuisset impedimentum Canonicum. *Publicato scrutinio*, ait Gregorius IX. *variare nequeunt Electores*: Glossa addit rationem; quia *mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*; subintellige, *re non amplius integra*: scrutinio autem necdum publicato Electores possunt revocare sua suffragia. *Pontas*;

CASUS VIII. Capitulum Cathedrale ad actum Electionis Decani adhibuit scribam seu Notarium laicum.

ꝑ. Licet convenientius fuisset uti Notario Clerico ad ejusmodi ministerium; Electio tamen est canonica. *Fagnan. n. 2, part. Decret. in C. quisquis 43. de elect. §. 19. Et seq. Pontas*.

CASUS IX. Ad Capitulum generale Ordinis Religiosi ex omnibus Conventibus deputati conveniunt, per legitimam procuracionem suffragandi facultate muniti. Diu super Electione Superiorum consultatum, ac tandem amore pacis conventum est, ut Electio fiat per compromissum. Duobus igitur Capitularibus potestas data est nominandi eos, quos digniores crederent; quod & executioni datum est.

ꝑ. Electio isthæc non est Canonica: procuratio enim generalis suffragandi, qua deputati instructi erant, juxta indubitata Juris principia non involvit facultatem compromittendi aut transigendi. Notandum insuper, ad valorem compromissi unanimum suffragantium assensum requiri, Electionemque ejusmodi, si vel unicus suffragantium in compromissum non consentiat, esse nullam. *Pontas*.

CASUS X. Camillus Superior Monasterii erga quempiam suorum Religiosorum tantam concepit aversionem, ut ea sensim degeneravit in odium. Hujus Religiosi absentia in rem suam usus Superior calumniosum contra eum libellum confecit, eumque tum auctoritate sua tum minis a tribus aliis Religiosis subscribendum curavit. Hi vero contenta libelli rescientes a confratre suo levitatis suæ veniam petierunt, ac scripto testimonio libelli subscripti falsitatem, virique probitatem declararunt. Cum jam proxime instituenda esset Electio Provincialis aut Assistentis, & communis rumor alterutram dignitatem Camillo præfagiret, quærit memoratus Religiosus, an salva charitate possit sese opponere huic Electioni, tum ad amoliendam a se ulteriorem persecutionem, tum ad procurandum bonum Religionis, si arceretur indignus a Superioris officio.

ꝑ. Duo

ꝑ. Duo hic motiva considerantur impediendi Electionem Camilli; unum propriam Religiosi personam, alterum bonum commune totius Ordinis concernit. Quoad primum censeo, religiosæ humilitatis, charitatis ac patientiæ actum fore, si Religiosus ille non curet, quæ propriam personam spectant, & ex hoc motivo contra Camillum non agat. Quoad alterum poterit se opponere Electioni, & pro majori efficacia scripta quoque confratrum suorum testimonia exhibere: supposito tamen, quod Camillus nondum debite ac sufficienter reparaverit calumnias Religioso illatas; id si factum, aquiescere posset; quamvis re ipsa talis, qualis est Camillus, perpetuo indignus existeret promotionis ad dignitates Ordinis. *Pontas*.

CASUS XI. Archangelus Provincialis Capitulo Ordinis ad Electionem Superiorum aliorumque Officialium congregato præsidens, in grave Ordinis detrimentum cessurum, ratus, si Religiosi indiscriminatim, cui placeret, vota sua darent, proponit tres, ex quibus unus eligendus foret; & quidem unus eorum tres suffragiorum partes quartas obtinuit.

ꝑ. Electio hæc, cum non fuerit penitus libera, non est canonica. *Cessat Electio*, inquit Gregorius X. *dum libertas, adimitur eligendi*. Sunt quidem antiquæ consuetudines juri communi circa hoc adversantes, ut dum Capitulum duos aut tres eligit, eosque præsentat Principi, ut quempiam eorum pro suo arbitrio nominet; verum hic modus puræ nominationis potius, quam canonice Electionis rationem habet. *Pontas*.

CASUS XII. Capitulum quadraginta Religiosorum ad eligendos per scrutinium Officiales monasterii congregatum unicuique tantum adhibet scrutatorem.

ꝑ. Electio non est Canonica: adhibendi enim tres scrutatores, si haberi possint. *Is numerus*, ait Rodriq. *magis perfectus creditur, & fraudem excludit*. . . . *Si vero eorum collegium in tribus tantum consistat vel duobus, non erit hæc forma servanda*. *Pontas*.

CASUS XIII. Conventus Monialium Ordinis mendicantium quatuor abhinc sæculis fundatus absque interruptione gaudebat jure eligendi Superiorissam conformiter ad regulam ac statuta Ordinis: fundator enim hoc jus ipsis concesserat. Orta jam 1700. in monasterio factione quædam monialium schismatis amans Regi persuadendum curavit, jus nominandi Superiorissam penes se esse, non obstante quadringentorum annorum consuetudine contraria. Rex igitur nominat Monialem alterius Ordinis, quæ auctoritate Regis sussulta, factaque

P p a

que

que falsa expositione Bullas Pontificias obtinet, ac dignitatis suae possessionem capit; cui tamen actui se opposuerunt decem aut duodecim saniores Moniales, conservandae disciplinae studio ductae, ac contra omnes superioritatis actus protestatae sunt. Illa vero obtinet sub quadam conditione Indultum Pontificium, cui se denuo dictae Moniales opposuerunt. Superiorissa hac demum mortua Rex nominavit aliam, & Moniales minis atque terroribus concussae tandem nolentes volentes acquieverunt, deposita tamen in manus senioris suae protestatione. Suntne Superiores istae legitimae?

ꝛ. Moniales quae se nominationi Regiae opposuerunt, tenebantur pro viribus adlaborare pro restaurando statu pristino. Ad idem obligantur etiam illae, quae factae innovationis causa exstitere; praepriis vero Superiorissa a Rege nominata, ne nimirum disciplina a primordiis foundationis stabilita & hucusque conservata penitus intereat. Duae Superiorissae a Rege nominatae non fuerunt legitimae, nec ullum superioritatis actum exercere potuerunt. Interea, postquam in ejusmodi casu humillime supplicatum fuit Principi pro restitutione juris ac consuetudinis pristinae, Moniales cum omni reverentia & absque murmure tenentur se subjicere dispositionibus divinae Providentiae, & auctoritati Principis. *Pontas.*

CASUS XIV. Moniales Ordinis S. Bernardi majori votorum numero elegerunt Superiorissam ejusdem quidem Ordinis, ex alio tamen conventu.

ꝛ. Via Electionis canonicae id fieri non potuit; quia juxta Canones persona eligenda necessario debet esse de gremio; saltem nisi fors persona digna ac habilis non reperiretur in Communitate. Via autem postulationis canonice poterit assumi haec Superiorissa; dummodo, ut definit Innocentius III. duas partes tertias suffragiorum pro se habeat. Et ne tunc quidem poterit acceptare postulationem, nisi de consensu Superiorum suorum. *Pontas.*

CASUS XV. Moniales in Electione Superiorissae dissentientes, de faciendo compromisso tandem conveniunt. Sed aliae compromissarium volunt Episcopum vel Vicarium generalem, aliae Toparcham loci virum probum ac doctum, ejus Majores monasterium fundarunt ac dotarunt.

ꝛ. Non possunt compromittere in laicum: juxta decretales enim Pontificum absolute arcendi sunt ab ejusmodi electionibus laici. *Pontas.*

CASUS XVI. Triginta Monialibus in eligenda per scrutinium Superiorissa dissentientibus, duae earum Superiori praesidenti declarant, se vota sua dare illi, quae plura habitura sit suffragia. Cum igitur pro Gabriela quindecim vota starent, & insuper duo dictarum Monialium addita fuissent, majorem suffragiorum partem Gabriela tulit. Estne haec Electio canonica?

ꝛ. Non est canonica, utpote facta per duo vota incerta ac indeterminata. In *Electionibus & postulationibus ac scrutiniis*, ait Innocentius IV. *vota conditionalia, alternativa vel incerta penitus reprobamus.* Cum tamen scrutatrices siluerint hac de re in publicatione Electionis, ac Electionis actui cum Praesidente subscripserint, consultum est, ut etiam deinceps omnia tegant silentio. *Pontas.*

CASUS XVII. Praefixa die Moniales conveniunt ad eligendam Superiorissam; & cum in quarto aut quinto scrutinio nondum perficeretur Electio, utpote una duodecim, altera totidem, & tertia novem pro se vota habente, Episcopus eas hortatur ad concordiam, discessurum se comminatus, nisi per novum scrutinium res determinetur; sed idem erat eventus. Nominat ergo unam earum, quae habuerat duodecim vota. Estne Electio haec canonica?

ꝛ. Si numerus votorum spectetur a Jure requisitus, Electio haec non est canonica, est Episcopus suum quoque votum addiderit. Est autem canonica, in quantum jus Monialium eligentium post quintum aut sextum scrutinium ex mera pertinacia necdum convenientium devolutum est ad Episcopum. *Qui eligere debuerant*, ait Innocentius III. *eligendi potestate careant ea vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proximo praesse dignoscitur, devolvatur.* Et ex hoc principio valida fuisset Electio Episcopi, etiamsi eligeret Monialem, quae nullum pro se suffragium tulisset. *Pontas.*

CASUS XVIII. Per constitutiones Ordinis quaelibet Monialis post professionem suam tres annos sub directione Magistrae explere tenetur, donec admitti possit ad Capitulum. Jam instat electio, & Reinalda, quae tres annos transegerat in novitiatu, & duos cum novem mensibus post professionem sub directione Magistrae, per dispensationem a Superiorissa admittitur ad Electionem, quae etiam per ejusdem suffragium determinatur. Estne valida Electio?

ꝛ. Haec Electio est nulla; quia Superiorissa non potuit dispensare circa constitutiones Ordinis absque consensu Communitatis ac legitimi Superioris. *Pontas.*

CASUS XIX. Die Electioni cuidam præfixa multi suffragatorum absunt.

β. Electio facta præfixa die est valida, imo vero unicus suffragator eligere possit in defectu aliorum. Religiosus alias gaudens jure suffragii, si literas scribat, & eas sigillo Prioris signari omittat, privandus est voce activa & passiva, si talem pœnam in ejusmodi delicti reum constitutiones statuunt. *Fromageau.*

CASUS XX. Potestne Episcopus autoritate propria nominare Superiorissimam Communitatis Monialium sibi subjectæ?

β. Potest nominare, quando in Electione tria scrutinia nulla sunt propter vota numerum suffragantium excedentia; debet tamen adhibere omnia media, quæ prudentia potest suggerere, ut reunit suffragia, & non statim privet Communitatem suo jure. *Fromageau.*

ELEMOSYNA.

1. Eleemosyna definitur: *Actus externus misericordie (a charitate imperatus) sublevans miseriam alienam.* Duplex distinguitur eleemosynæ species, spiritualis scilicet & corporalis. Ad spirituales eleemosynas pertinent septem bona opera in hoc versu, quem refert D. Thomas, contenta: *Consule, castiga, solare, remitte, ser, ora:* septem alia eleemosynæ corporali sunt propria, ut *visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

2. Eleemosyna est de præcepto, idque de superfluo semper, & quandoque etiam de necessario, ut advertit & explicat Doctor Anglicus.

Fuerunt quidem Casuistæ mollioris culitræ & hominibus loquentes placentia, qui dicere non erubuerunt, etiam optimatibus, imo ipsis Principibus sæpe non suppetere superfluum, ac proinde raro evenire, ut quis ad Evangelicum eleemosynæ præceptum teneretur. En! ipsam propositionem, quam temere credulis spiritus mendax suggestit, Conventus autem Cleri Gallicani Anno 1700. ordine centesimam undecimam commerita censura perstrinxit: *Vix in secularibus invenias, etiam in Regibus, superfluum statui; Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* Censura: *Hæc propositio est temeraria, scandalosa, perniciofa, erronea; Evangelicum de eleemosyna præceptum pessumdat.*

4. Damnata jam fuerat perniciofa hæc doctrina anno 1657. a Doctoribus Lovanienfibus, & a Facultate Theologica Parisiensi Anno 1666.

CASUS I. Barnabas nunquam erogat eleemosynam, licet sit ditissimus, ne familia gravetur: reprehensus ob suam tenacitatem respondet, præceptum eleemosynæ non obligare sub peccato mortali.

β. Peccat mortaliter Barnabas hac sua tenacitate, si habeat superfluum. Præceptum erogandi eleemosynam in tantum obligat, in quantum id recta exigit ratio; quod ut bene intelligatur, duo consideranda sunt, unum ex parte dantis, alterum ex parte recipientis eleemosynam. Ex parte dantis respiciendum est superfluum non solum quoad ipsum dantem, sed etiam quoad eos, quorum ipsi cura incumbit, ut patri incumbit cura filiorum, & Domino cura servorum. Ex parte autem recipientis eleemosynam sciendum, utrum egeat; si enim non egeret, ratio non est dandi ipsi eleemosynam: si autem in extrema necessitate constitutus est, quo casu quis sub peccato mortali obligatur ad eleemosynam, ea non solum danda est de superfluis, sed etiam de necessariis, si pauper alio modo sublevari non possit. *Pontas.*

CASUS II. Barnabas fatetur, se habere superfluum, de quo possit erogare eleemosynam, maxime in urgente necessitate. Verum putat se excusari a peccato mortali eam omitendo, eoquod varii casus possent accidere, in quibus ea, quæ modo sunt superflua, aliquando fierent necessaria.

β. Juxta D. Thomam hæc excusatio non valet coram Deo: superflua enim ipsius sunt bona pauperum; & quamdiu non erogat eis, est in statu peccati mortalis. *Pontas.*

NOTA. Licet respicere ad necessitates probabiliter eventuras, iisque præcavere; non vero licet, anxie cum neglectu pauperum prospicere necessitatibus mere possibilibus.

CASUS III. Ferdinandus vir primæ nobilitatis singulis annis infumit 25000. florenos tum pro conviviis ac emendis pretiosis mobilibus, tum pro lusu. Sic proin nunquam habet superflui quid pro pauperibus; & jam per decem annos non est largitus eleemosynam.

β. Ex nulla ratione Ferdinandus potest excusari a peccato mortali, & si non promittat emendationem, a Confessario deneganda est ipsi absolutio. Vir dives est quidem Dominus bonorum suorum quantum ad proprietatem, non autem est absolute talis quantum ad usum; cum pauperes habeant jus in superflua ipsius. *Pontas.*

NOTA. Juxta Evangelium divites sunt tantum villici ac administratores coelestis patrisfamilias, ut hujus bona prudenter dispensent servis Dei cum omnium satisfactione ad laudem Domini.

CASUS IV. Basilius annuos redditus habet 4000. florenos; cum autem sustentare debeat uxorem, prolem, & duos domesticos, dubitat, an aliquam partem ut superfluum considerare, & quantam summam pro eleemosyna destinare debeat.

ꝛ. Confessarius hoc consilium suppeditet Basilio, ne scilicet faciat expensas inutiles, sed ea ratione vivendi contentus sit, quam prudentia Christiana suaserit esse necessariam ad decentiam ac congruentiam status sui. Ante omnia considerandum ipsi inculcet, quod sit depositarius tantum bonorum a Deo acceptorum, de quorum usu exactissimam quandam Deo rationem sit redditurus. Extra casum extremæ necessitatis illud ut necessarium considerari potest, quo subtracto non posset amplius servari decentia status. *Pontas.*

CASUS V. Paulus habet fere quingentos florenos superfluos singulis annis in pauperes distribuendos. Teneturne sub peccato dare eleemosynam omnibus pauperibus eam poscentibus usquedum tota summa erogata fuerit?

ꝛ. Non tenetur dare eleemosynam singulis pauperibus poscentibus indiscriminatim, iis solis exceptis, de quorum extrema aut gravi necessitate certus est. Ut ab omni peccato eximatur, sufficit, si erogat sua superflua, secundum quod sibi visum fuerit opportunum. *Pontas.*

CASUS VI. Gervasius habet multa superflua, quæ posset expendere in eleemosynas; est tamen in loco, ubi neminem novit egentem, & ubi nullus vivit mendicatio.

ꝛ. In hoc casu tenetur superflua sua dare hospitalibus, aut domibus religiosis indigentibus, aut alio modo meritorie expendere juxta consilium sui Confessarii: ipse autem pauperes inquirere non tenetur. *Pontas.*

CASUS VII. Frambūrgus dives Beneficiatus & valde misericors in pauperes, aliquorum ex his confessiones excipit, iisdem sæpe confert eleemosynam.

ꝛ. Generaliter loquendo, hi poenitentes non sunt semper præferendi omnibus aliis pauperibus; facile enim Frambūrgus sic posset decipi per falsos poenitentes & hypocritas. Prudentia hinc exigit, ut beneficentiam suam commensuret cujuslibet eleemosynam poscentium indigentia, quam facile colligere poterit. *Pontas.*

CASUS VIII. Spiritus facile posset singulis annis centum florenos in pauperes distribuere; sed in loco, quo moratur, neminem prorsus novit pauperem præter duos aut tres viros provestæ quidem ætatis, sed vitæ minime Christianæ.

ꝛ. Præceptum charitatis obligat ad dandam ipsi eleemosynam, maxime si sint in extrema necessitate constituti; neminem enim illud excipit. *Pontas.*

NOTA.

NOTA. Danda talibus est eleemosyna sub sponsione emendationis. Si promissa non servent, non sunt juvandi fomento vitiorum.

CASUS IX. Sanctorius potest & vult subvenire duobus pauperibus, quorum alter est ipsius consanguineus, cujus curam ultro in se suscepit; alter vero, qui non est ipsius consanguineus, majore premitur egestate, vitamque insuper ducit magis virtuosam.

ꝛ. Juxta S. Thomam sanctior & indigentiam simul majorem patiens præferendus est magis propinquo, si gradus propinquitatis non eo ascendat, ut Sanctorius teneatur ipsius curam gerere. Si circumstantiæ sint æquales, præferendus est consanguineus. *S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 9. C. Et ad 2.*

CASUS X. Fargasius sæpe ruri offendit pauperes voluntarie tales, qui malunt mendicatio vivere, quam labore victum quaerere, etiam possent. Potestne talibus denegare eleemosynam?

ꝛ. Si certo sciat Fargasius, tales non esse miseros, nisi quia ipsi volunt, potest denegare eleemosynam. Verum si solum dubitet, num sint tales, & in hoc dubio ex motivo charitatis ipsis erogat eleemosynam, ea semper coram Deo erit meritoria. *Pontas.*

CASUS XI. Fabianus filiusfamilias quandoque moderatas erogat eleemosynas ex bonis patris sui: idem subin facit quidam domesticus.

ꝛ. Neuter sic potest facere eleemosynas, nisi forte modicas, quas rationabiliter possunt præsumere a patre non improbatum iri. Si pater rem quampiam liberæ dispositioni filii permisit, tunc eam potest donare pauperibus. Item si filius quædam sibi bona acquisivit v. g. ferviendo Principi in bello, aut obeundo honestum quoddam officium, sicut est absolutus dominus horum bonorum, ita pro libitu de iis potest disponere, non minus ac de lucro ex loteria obtento. Sic si ex auro unico, de quo libere disponere potuit, forti exposito retulisset centum aureos, erogare eos posset in pauperes. Quod attinet domesticum, non potest elargiri nisi parum panis, etiam administrationem omnium bonorum patrisfamilias commissam sibi haberet. *Pontas.*

NOTA. Idem est, de re æquivalente pani & æque necessaria mendicabulo, v. g. sale, lacte pro lactante, senicula, infirma.

CASUS XII. Martha conjugata sæpe erogat eleemosynam infirmo marito; quandoque etiam contra expressam illius prohibitionem.

3. Si pauper est in extrema necessitate, illaque iudicet, hunc ab extrema indigentia liberari non posse nisi per erogatum ipsi eleemosynam, certum est, eam non solum posse, sed etiam debere succurrere, quamvis maritus expresse prohiberet. Verum si indigentia pauperis est tantum communis & ordinaria, uxor non potest dare eleemosynas sine consensu mariti saltem tacito, nisi moderatas tantum. Generaliter loquendo qui sciens non contradicit, censetur tacite approbare ejusmodi eleemosynas saltem circa res exigui momenti.

NOTA. Si uxor æque concurrat ad communem aqæstum ac maritus, prout fit circa rusticas, cauponissas, mercantissas, licite erogat de quota sui aqæstus non solum pro constitutis in necessitate extrema, sed etiam gravi, aut communi. Amort Th. Mor. Tr. 3. sect. 1. §. 6. q. 17.

CASUS XIII. Theophilus Religiosus, & in conventu quodam Sacrista, cui incumbit recipere stipendia Missarum, tempore penuriæ ad portam Ecclesiæ conspicit pauperem cum extrema inopia luctantem.

3. Theophilus non solum absque peccato potuit, sed etiam debuit huic dare eleemosynam ad sublevandam ipsius inopiam sufficientem, etsi Superior expresse prohibuisset suis Religiosis, ut eos intra justos voti paupertatis limites contineret, ne privatas facerent eleemosynas. Pontas.

NOTA. Religiosus tenetur monere Superiorem de inopia miseri, & ejus iudicio relinquere, an inopia non sit ficta? an sit extrema? an aliter juvari non possit?

CASUS XIV. Justinus multa bona injuste acquisivit. Potestne tranquillare conscientiam suam, si omnia male acquisita distribuatur in pauperes?

3. Justinus examinare debet 1. Utrum hæc bona via injusta acquisierit; & tunc, cum non sit Dominus horum bonorum, ea tenetur restituere illi, ad quem pertinent, si noverit illum, etque possit restituere; talia bona sunt acquisita per furtum, rapinam, usuram &c. de quibus non potest fieri eleemosyna, nisi dum nescitur, cuiquam sint restituenda. 2. Utrum acquisiverit contra justitiam, ut v. g. contingit in simonia; & tunc, cum non possit restituere illi, a quo acquisivit, tenetur ea convertere in eleemosynas, aut applicare ad alias causas pias. 3. Utrum ea acquisiverit non quidem injuste, sed illicite & per media turpia; & tunc, sicut ea absque injustitia retineri possunt, sic possunt converti in eleemosynas secundum consilium prudentis Confessarii. Quod attinet

attinet meretrices aliasque foeminas prostitutas, non convenit inter Theologos, utrum retinere sibi possint mercedem peccatorum suorum, ut & ipse D. Thomas sentit. Securarius certe est, si adstringantur a Confessario, ut redimant peccata sua eleemosynis pauperum, si possint. Pontas.

NOTA. Datur obligatio juris naturalis, acquisita per contractus turpes, tanquam invalidos, expendendi in causas pias, quia tanquam bona a dante derelicta, & ab accipiente inacquisibilia, sunt in dominio solius Dei.

CASUS XV. Albertus a septem aut octo annis 1500. florenos usurarie acquisivit a quatuor suis amicis. Ex his bonis dedit duos aureos per modum restitutionis cuidam pauperi ad extremam necessitatem redacto, cui aliter succurrere non poterat. Potestne hos duos aureos subtrahere a summa restituenda?

3. Cum necessitas extrema omnia bona faciat communia, potuit, imo & debuit hanc facere eleemosynam, eamque potest deducere a summa 1500. florenorum, quam restituere tenetur suis quatuor amicis. Pontas.

CASUS XVI. Maria vidua valde devota sed pauperrima, occulte tamen, cum a nobili matrona accepisset decem florenos quatuor pagi sui pauperibus, quibus vellet, distribuendos, tres quartas partes aliis distribuit, quos sciebat in opiam pati, & reliquam sibi clam retinuit, præsumens, Dominam illam haud fore invitam, si, qua premeretur, indigentia perspecta illi foret.

3. Absque peccato quartam partem Maria sibi retinere potuit; cum vere sit pauper, nec personæ, quibus esset distribuenda eleemosyna, designatæ illi fuerint. S. Thomas 2. 2. q. 3. art. 9. ad 3. Pontas.

CASUS XVII. Teneturne quis sub peccato mortali omne suum superfluum dare pauperibus, si sunt in extrema necessitate constituti? Quid dicendum, si tantum in gravi ac urgente necessitate sunt constituti? Et quid, si necessitas tantum sit communis ac ordinaria? Potestne reservari pars superflui ad alias causas pias applicanda? Sufficitne dare eleemosynas petentibus tantum? Et denique num illi solum, quibus incumbit cura pauperum, tenentur pauperes inquirere, eosque prævenire?

3. Datur obligatio, omne superfluum pro ratione status erogandi in pauperes, qui extrema necessitate, laborant. Eadem dari obligatio censetur sub peccato mortali, si necessitas est gravis & manifesta. Ad necessitatem communem & ordinariam quod attinet, valde probabile est, divites saltem sub peccato venialitereni ad eroganda superflua, licet non omnia. Suff.